

*discrepabant*, quando aliqui animas humanas ad alios homines; aliqui ad corpora pecudum transire; aliqui animarum revolutionem stabilire volebant, ut videlicet anima hominis relicto corpore mortuo subinde in aliud atque aliud corpus immigret atque ita se per omnia corpora terrestria marina & volucra circumferat, donec post tria annorum millia hunc circulum absolvat & ad corpus hominis redeat, quemadmodum hæc opinio ab Herodoto Ægyptiis tribuitur.

§. 8. At enim verò quicquid sit de omnibus hisce recensitis opinionibus, sive statuatur animam de corpore in corpus immigrare, sive statuatur eam statim cum corporibus interire, sive longò post tempore vel paulò post; nos tamen has omnes sententias tanquam erroneas, falsas, deformes, rectæ rationi & sacre Scripturæ dissentaneas manibus pedibusque rejicimus, & contrarium ex lumine naturæ & revelationis ostendere satagimus.

§. 9. Antequam id fiat, notandum ex *Antonio Ruvo tract. de Anim. separ. q. 3. p. m. 526.* quod tò *immortale* non eodem modo accipiatur, sicut nec oppositum ejus mortale. Nam *immortale* (1.) dicitur id, quod a deo necessarium esse habet, ut contradictionem implicet, illud amittere vel esse desinere, & in hæc acceptione nulla creatura, quantumlibet spiritualis aut independens à corpore, potest esse immortalis, sed solus deus h. m. est immortalis, quippe cujus esse à nullò dependet; quâ acceptione usus Gentium Doctor 1. Timoth. 6. v. 16. ubi de Deo loquens dicit: *ὁ μόνος ἔχων ἀθανασία*, qui solus habet immortalitatem. (2.) Immortale dicitur id, quod nec in se habet principium corruptionis vel mortalitatis aut mortis, nec per causas externas secundas vel naturales potest destrui; & in hoc sensu Angeli sunt immortales, quippe qui nullum in se desinendi principium habent, nec suapte naturâ deficere queunt. Quando jam disceptatur, an anima rationalis sit immortalis & interire nequeat? tunc hoc intelligi debet de immortalitate in posteriori significato sumpta; priori modo enim immortalis non est, quia in esse suo indiget concursu Dei generali, quò subtractò ipsam perire necesse est.

3

§. 10. His